

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 231106d

Monday 06.11.2023

## **Letter of the Holy Father to the Pontifical Legate for the opening of the Jubilee Year of the diocese of Casale Monferrato on the 550th anniversary of its erection and the solemnity of the Patron Saint Evasius (Italy, 12 November 2023)**

On 7 October 2023, the Holy Father appointed His Eminence Cardinal Secretary of State Pietro Parolin as Pontifical Legate for the opening of the Jubilee Year of the diocese of Casale Monferrato on the 550th anniversary of its erection and the solemnity of the Patron Saint Evasius, scheduled to take place on 12 November 2023.

The Pontifical Legate will be accompanied by a Mission composed of the following ecclesiastics:

1. The Reverend Msgr. Désiré Azogou, vicar general of the diocese;
2. The Reverend Msgr. Francesco Mancinelli, rector of the Shrine of Crea.

### **Letter of the Holy Father**

Venerabili Fratri Nostro  
PETRO S.R.E. Cardinali PAROLIN  
Secretario Status

Casalensis Dioecesis grex ad singulare celebrandum anno proximo eventum diligenter paratur adque magna voce hymnum *Te Deum* canendum, dum DL anni transeunt ab huius ecclesialis communilitatis fundatione. Illam enim Praedecessor Noster rec. mem. Sixtus IV die XVIII mensis Aprilis anno MCDLXXIV, pree oculis habens spirituales Pedemontanae regionis necessitates, erexit.

Quamobrem, sicut novimus, Venerabilis Frater Ioannes Sacchi, Episcopus Casalensis, hac occasione feliciter data, Annum lubilarem Diocesanum indixit, tempus videlicet precis atque theologicae pastoralisque

considerationis, qui in sollemnitate s. Evasii, Casalensis Ecclesiae Patroni, proximo die XII Novembris aperietur atque eodem die anni MMXXIV concludetur.

Fausta igitur hac opportunitate, memoratus Praesul, una voce cum grege sibi commisso humanissime rogavit ut Nos quendam eximium Purpuratum designaremus, qui in dicta sollemnitate s. Evasii huius anni celebrationi Nostro nomine praeesset atque verba spiritalis cohortationis pronuntiaret. Piae huic postulationi adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus qui munus Secretarii Status diligenter exerces, singulare Nobis in exercendo Petrino ministerio auxilium praebens. Te igitur hisce Litteris LEGATUM NOSTRUM nominamus ad celebrationem de qua supra diximus, quae die XII advenientis mensis Novembris in ecclesia Cathedrali Dioecesis Casalensis sollemnri ritu agetur, in inauguratione videlicet Anni Iubilaris Dioecesani. Omnes huius eventus participes adhortaberis ut precibus, meditatione necnon pastoralium necessitatum consideratione renovatis viribus novoque studio peculiarem dilectionem Christi eiusque Evangelii demonstrent atque fidei zelo in vita cotidiana ferveant.

Diligentem Pastorem Casalensem, cunctos fideles ibi congregatos, sacros Praesules, sacerdotes, religiosos viros mulieresque, publicas auctoritates et christifideles laicos, Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendens benevolentiam.

Nosmet Ipsi Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur, Beata Maria Virgine de Crea et s. Easio intercedentibus, Tibique Benedictionem libentes iam nunc impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittas volumus.

*Datum Romae, Laterani, die XVIII mensis Octobris, in festo s. Lucae, evangelistae, anno MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.*

FRANCISCUS

---